

*potentia concupiscendi* sit opus Dei sicut potentia peccandi in creatura rationali, tamen motus concupiscentiæ inordinati non sunt opus Dei, sed hominis; cum hi ut repugnantes rationi non habeant causam efficientem, sed deficientem.

*Inst. 4.* Juxta S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 48. n. 53. concupiscentia est *affectio quædam malæ qualitatis*, ac proin et ipsa mala est; cum hac vero in statu naturæ puræ conderetur homo, utpote qui in hypothesi illa S. Aug. superius a nobis statuta deberet se liberare a *difficultate cruciante*; ergo cum concupiscentiam fatetur esse malam, negat autem eam esse a peccato, sed vult esse a Deo, cum Manichæis facit Deum auctorem mali. *Conf. S. Aug.* non physicum duntaxat, sed et *morale malum* dixit concupiscentiam tum rebellem, licet sine consensu voluntatis, tum indifferentem etiam ad voluntatem licitam vel illicitam; ut patet quoad 1<sup>um</sup>, ex L. 6. cont. Julian. c. 49. n. 60., quoad 2<sup>um</sup>, ex eod. c. 16. n. 50.

R. D. S. Aug. fatetur concupiscentiam esse malam moraliter et culpabiliter N. malam duntaxat physice aut denominative, sed non formaliter moralem, et hinc inculpabiliter malam C.

*Ad Conf.* Similiter sub distinctione mali materialiter vel denominative moralis et formaliter et culpabiliter talis C. M. Primum enim genus mali evincit tantum textus primus, uti verba: *Neque nulla est iniquitas*, satis arguunt, et alibi laudata S. August. doctrina certo declarat; in cujus confirmationem hæc habe ex L. 1. de nupt. et concup. c. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Idem dicendum esse de secundo, postrema textus verba docent.

Certe mirum est, *Jansenium* tanta contentione impossibilitatem naturæ puræ ex relatis principiis urgere, cum tamen vi auctoritatis S. Augustini coactus L. 3. de statu nat. pur. c. 48. fateatur, potuisse *hominem innocentem* concupiscentiæ obnoxium a Deo creari, dummodo simul ipsi daretur auxilium, quo concupiscentiam vincere posset. Unde jam non est audiendus amplius, dum negat hominem a Deo condi posse cum concupiscentia, sicut is nequit condi cum *habitu vitioso*; præterquam enim, quod habitus vitiosus per se et unice inclinatur ad malum, concupiscentia autem tantum per accidens, eo quod hæc ex natura operis sit tantum inclinatio ad bonum sensibile corpori proportionatum, oriatur autem ex imperfectione naturali hominis, qui plus afficitur sensibilibus, quam spiritualibus, quod ea inclinatio mentem a spiritualibus avertat; Jansenii testimonium vim hujus argumenti enervat.

*Inst. 5.* Saltem concupiscentia rebellis non fuisset *utilis* ad ullum bonum, imo tanquam perpetuus ad peccatum stimulus fuisset valde noxia; ergo dari nequit in statu naturæ puræ. *Conf.* Hæc concupiscentia intulisset *moralem impotentiam* servandi legem naturalem saltem diu et constanter; ratio enim, cur homo in natura lapsa diu et constanter servare legem nequeat sine gratia, assignatur a Theologis concupiscentia: in statu autem naturæ puræ nulla gratia locum habet; ergo.

R. N. A. Aliquoties jam ex Aug. dictum est, concupiscentiam in hoc statu fore *proficiendi admonitionem et perfectionis exordium*; addimus ex eodem, non *superbiendi commonitionem*: *Dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admonetur, ne securus infletur.*

*Ad Conf. D.* In hoc statu locum non habet gratia ordinis theologicæ supernaturalis C. ordinis naturalis N.

*Inst. 6.* Quodcumque in hoc statu admittatur auxilium, vel fuit debitum, vel non: si 1<sup>um</sup>; ergo gratia dici nequit: si 2<sup>um</sup>; ergo poterit Deus illud negare, et sic hominem naturæ puræ relinquere in impotentia morali servandi legem et necessitate peccandi.

R. Auxilium *sufficiens*, quo homo *possit* servare legem in statu puræ naturæ, est *debitum* debito vel fundato in ipsa natura vel in perfectionibus divinis, atque hinc est gratia tantum ex gratia ordinis naturalis, scilicet ex supposito, quod natura pura et innocens creetur a Deo; cum ejusmodi naturæ videatur absolute debitum *auxilium naturalis ordinis*, quo possit moraliter per aliquod tempus legem creatoris sui servare, ne scilicet necessitate moraliter ineluctabili incurrat peccatum et sine sua culpa æternam damnationem, quod infinitæ sapientiæ et bonitati repugnat.

Auxilium verò *efficax*, seu quo legem *actu* impleat, licet naturalis ordinis, est favor specialis et prorsus indebitus; quia concesso auxilio sufficiente jam non potest peccatum et damnatio refundi in Deum, sed in hominem, qui eo auxilio uti potuisset, ac debuisset. Hinc vero explicatur, quomodo homo ejusmodi haberet potentiam moralem *inchoatam*, tanquam sibi naturaliter debitam, servandi diu et constanter legem naturalem; quia si homo per aliquod tempus, quantum moraliter potest faciat, Deus negare non potest ulteriora ordinis naturalis auxilia.

## ARTICULUS V.

AN NATURA LAPSA DEBILIOR SIT AD OPERANDUM BONUM MORALE NATURALIS ORDINIS, QUAM ESSET NATURA PURA?

172. *Dico I.* Homo in statu naturæ lapsæ vi *soliis peccati originalis* non est factus *intrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam esset in statu naturæ puræ.

*Prob. I.* Nec assignari potest, quid homini vel ex corporis aut animæ substantia, vel ex utriusque aut alterutrius potentia naturali, vel ex aliqua forma substantiali aut accidentali, quæ naturæ humanæ connaturaliter debebatur, *detractum* sit, homoque nunc non habeat, et natura pura foret habitura. Et plerique jam concedunt, diminutionem hanc non esse factam per *additionem* habitus vel qualitatis morbidæ; cum neque generentur ab aliquo actu, neque vel per se vel per accidens a Deo infundantur.

*Conf.* Ex *removente prohibens* non sequitur effectus major vel minor, quam ex ipsa natura nullo prohibente sequeretur: sed *peccatum originale* solum removet id, quod in primo parente erat prohibens inordinatos motus concupiscentiæ aliasque infirmitates humanas, h. e. *justitiam originalem*; ergo ex peccato originali nec major debilitas nec minor facultas intrinseca sequitur ad morale bonum, quam esset in natura pura nullo peccato infecta.

*Prob. II.* Juxta S. Aug. L. 1. *Retract.* c. 9. n. 6. in natura pura potuit dari tanta difficultas ad bonum, quanta vi peccati originalis nunc datur in natura lapsa; ergo major facilitas non erat naturaliter debita naturæ puræ

et innocenti : atque hinc vires naturaliter debitæ per peccatum originale non sunt diminutæ. *Conf.* ex S. TH. p. 1. q. 95. a. 1. in 0.

173. *Dico II.* Homo in statu naturæ lapsæ vi peccati originalis factus est *extrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam foret in statu puræ naturæ.

*Prob.* Homini in statu naturæ lapsæ, seclusa gratia Christi, moraliter est impossibilis observantia totius legis naturalis : homini autem in statu naturæ puræ ea est moraliter possibilis ; ergo cum hoc non proveniat ab intrinseco, oritur ab extrinseco, et natura lapsa extrinsece debilior est, quam foret natura pura.

Major autem difficultas ad bonum et naturæ debilitas dupliciter potest provenire ab extrinseco : 1<sup>o</sup>. Quidem spectando causas *extrinsecas* impediētes facultatem operandi bene, aut præbentes occasionem operandi male, *mundum* scilicet et *dæmonem*; quatenus nempe objecta concupiscentiam irritantia, exempla pravorum, morum perversitas et similia, item tentationes et infestationes copiosiora aut vehementiora sunt.

2<sup>o</sup>. Spectando *providentiam Dei* et auxiliorum dispensationem, quatenus hæc vel parciora sunt vel non ita congrua et valentia ad difficultatem superandam. Itaque adjutorium extrinsecum, ex cuius defectu natura fit extrinsece debilior, consistit in *speciali Dei protectione*. Hæc vero ex parte Dei est actus liber divinæ voluntatis, quo Deus decernit remove causas illas extrinsecas, vel negare illis concursus, ne tentationes et incitamenta ad malum prorsus aut saltem vehementiora oriantur : quod si vero hæc quandoque permittat, simul ex parte intellectus et voluntatis tribuat æquipondium, nempe cognitionem naturalem motivi vehementer inclinantis ad resistantiam et naturalem hujus resistantiæ vel boni honesti amorem.

174. *Obj. I.* Conc. TRID. Sess. 5. Can. 1. ait, *totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.* Conc. ARAUS. II. Can. 25. (Labb. t. 4. p. 1671. C.) et TRID. Sess. 6. c. 1. docent, liberum arbitrium peccato originali fuisse *viribus attenuatum et inclinatum.* COELESTIN. I. in ep. ad Episcopos Galliæ (Labb. t. 2. p. 1614. E.), determinans quid contra hæreticos a Catholicis tenendum sit, affirmat in prævaricatione Adæ omnes homines *naturalem possibilitatem* et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere ; ergo facta est mutatio intrinseca.

R. CONCILIA et PONTIFEX in assertis non instituerunt comparisonem inter naturam lapsam et puram, sed inter lapsam et integram ; quod colligitur tum ex occasione certaminis *Pelagianos* inter et Catholicos, quorum primi cum infirmitates vitæ humanæ statuēbant esse naturæ primordia, postremi contenderunt primum hominem habuisse justitiam originalem, eaque per peccatum amissa, infirmitates illas evenisse tanquam peccati pœnas ; tum ex S. AUG., qui voluntatem integram L. 1. de pecc. mer. c. 37. vocat *mentis valentiam*, et L. 41. de Genesi ad lit. eandem dicit *posse naturæ ac possibilitatem naturalem*; quem sensum illa CONCILIA et loquendi etiam modum PONTIFEX retinuerunt. Unde per commutationem in deterius, per attenuationem et inclinationem virium, per naturalis possibilitatis perditionem, si

*intrinseca* spectentur, nihil intelligitur aliud, quam jactura donorum naturam integram et *originaliter* justam constituentium, non autem extinctio aut læsio virium *naturaliter* debitarum.

*Inst. 1.* Homo per peccatum originale *spoliatus* est *gratuitis* et *vulneratus* est in *naturalibus*, ut habet axioma theologicum ; ergo natura lapsa etiam intrinsece est debilior.

R. D. A. *Vulneratus* est in *naturalibus* comparate ad naturam integram, quantum nempe vires sanas et integras homo ante peccatum originale habuerat C. comparate ad naturam puram, quantum nempe natura lapsa aliquid amisisset intrinsece, quod naturæ puræ connaturaliter erat debitum N. Homo enim recte dicitur *vulneratus in naturalibus*, quia ob ignorantie, malitiæ, concupiscentiæ et infirmitatis pœnas, ex peccati originalis merito, intellectui, voluntati et utrique appetitui sensitivo illatas, debilior est, quam fuerit in statu naturæ integræ, ut explicat S. THOM. 1. 2. q. 85. a. 3., ubi cum dicit hominem destitutum esse *ordine proprio, quo naturaliter ordinatur ad virtutem*, non sumit ordinem proprium secundum se et physice spectatum, et in quantum est ex intrinsecis naturæ principiis, sed secundum *perfectionem*, quam habuit in statu naturæ integræ ex dono justitiæ originalis.

*Inst. 2.* Viator ille Luc. 10., et hinc etiam natura lapsa, est *semivivus relictus*. Hoc autem in nostra sententia explicari nequit.

R. N. *min.* Natura enim lapsa *vix* ac ne *vix* quidem habet amplius *dimidium* illius vitæ, qua fruebatur natura integra, etsi natura lapsa nihil perdidit de vita et viribus naturalibus. Sane ob *mortalitatem corporis*, quæ non est major in natura lapsa, quam esse posset in natura pura, dicitur nihilominus homo vulneratus in naturalibus et semivivus relictus ; ecur igitur idem de ignorantia, concupiscentiæ fomite, aliisque defectibus dici nequeat?

*Inst. 3.* Spoliari *gratuitis* in hoc axiome idem est, ac amittere bona naturæ indebita ; ergo vulnerari in naturalibus idem erit, ac amittere aliquid bonum naturæ debitum.

R. N. *Cons.* *Disparitas* est, quia 1<sup>um</sup>. intelligi non potest nisi de amissione boni indebiti, cum solum bonum gratuitum sit naturæ indebitum : at 2<sup>um</sup>. potest duobus modis contingere vel cogitari : *imprimis* per amissionem boni naturæ debiti, vel saltem per aliquam ejus diminutionem ; *deinde* per amissionem boni naturæ quidem indebiti, sed tamen antea habiti et vires ejus naturales perficientis in ordine etiam ad bonum naturale. Priore modo vulneratam esse naturam negamus, postremo concedimus : addimus etiam, naturam debilitatam esse ob amissionem extrinseci.

*Inst. 4.* Homo in statu *naturæ puræ* nequit dici vulneratus in naturalibus ac semivivus relictus ; ergo hoc plus dicit, quam hominem tantum carere donis justitiæ originalis vel naturæ integræ.

R. N. *Cons.* Ideo enim homo in *natura pura* nequit dici vulneratus et semivivus relictus, quia vulneratio naturæ est dissolutio ordinis, qui prius inter vires superiores et inferiores fuerat ; et quia *metaphora* etiam semivivi relictus non importat carentiam vitæ vel vigoris *simpliciter*, sed amissionem vitæ vel vigoris præhabiti. Cum itaque ille ordo, vita et vigor, qui in Adamo fuit, non præsupponatur ad naturam puram, quamvis hæc æque debilis esset quoad *vires intrinsecas* ac est natura lapsa, homo in illa nequit

dici vulneratus et semivivus relictus, sed debilis et ad summum semivivus creatus. Cæterum quamvis vulneratio in naturalibus non indicet quid distinctum a spoliatio gratiorum naturæ integræ donatorum, non frustra tamen in axioma additur; quia *apte explicat*, quomodo et quam male hæc gratiorum spoliatio naturam afficiat, ita ut per eam dicatur vulnus accepisse in natura; siquidem illa dona ex pacto et promissione divina erant naturæ antecederent unita, et quodam jure naturalibus ejus facultatibus tum quoad se, tum quoad usum propria: ictu autem peccati exinde sint *separata*, quæ separatio vel divisio dicitur vulnus ad instar vulneris corporalis, quo partes antea continuæ ac unitæ a partibus separantur.

175. *Obj. II.* Si homo in natura pura conditus peccaret, immineretur ejus inclinatio naturalis ad bonum; ergo et hoc accidit in natura lapsa per *peccatum originale*, et datur intrinseca debilitas major. *Conf.* Per originale natura est aversa a fine ultimo etiam *naturali*; ergo necessario est debilior ad bonum etiam naturale, quia bonitas actuum moralium pendet præcipue ex fine ultimo.

R. Pejor omnino in hoc casu foret *naturæ puræ* conditio, non ex aliis tantum hujus status capitibus, sed quia *actuale peccatum* est conversio ad creaturas, et relinquit speciem inchoativam habitus vitiosi; quorum neutrum ex originali peccato qua tali habetur; unde *N. Cons.*

*Ad Conf. T. vel C. A. et N. Cons.* Quia aversio præcise a fine ultimo non est aliqua *forma physica* residens in Adæ posteris, nec privatio perfectionis naturalis; sed solum moralis quædam habitudo et denominatio, reddens quidem subjectum Deo invisum, at nihil post se relinquens in natura, ratione cujus naturalis ejus perfectio dici possit imminuta.

*Inst.* Ex variis naturæ affectionibus intrinsecis aperte prodit se major debilitas naturæ lapsæ. Nam 1. Rebellio concupiscentiæ *regnat* de facto in carne peccati: non regnaret in statu naturæ puræ. 2. Concupiscentia in homine lapsa, juxta probabilem D. THOMÆ, est *materiale* peccati originalis; ex eo autem sequi videtur, quod habeat aliquid plus, quam in natura pura, scilicet majorem reluctantiam contra rationem, et majorem inclinationem ad bonum sensibile rationi contrarium. 3. Homo in statu naturæ puræ ex sibi debitis posset mereri apud Deum *premiū naturale*; hoc vero non posset homo lapsus. 4. Nihil obest, quominus natura lapsa amittat inclinationem naturalem ad bonum; tum quia eandem etsi connaturalem amittunt *damnati*: tum quia *beati* amittunt etiam potentiam peccandi, quantumvis connaturalem.

R. *N. Ass. Ad Prob. 1<sup>am</sup>. C. A.* sub propria vocatione significatione, et *N. Cons.* quæ inferri posset. *Rebellio* proprie est vis subditi agredientis aliquid contrarium principi: hinc cum in natura lapsa insurgat concupiscentia contra rationem, cui in statu innocentie fuit subjecta et mansisset subdita in nobis, nisi originale peccatum intercessisset, recte dicitur *rebellare*: non ita in natura pura ob rationem contrariam.

*Ad Prob. 2<sup>am</sup>. T. supp. N. seq.* Concupiscentia quoad esse physicum et reale nihil habet nunc, quod non haberet in natura pura: habet quidem plus quoad esse morale, nempe privationem ordinationis præhabite inter vires inferiores ac superiores, cum S. THOMAS formale originalis peccati statuat in

privatione gratiæ et justitiæ originalis; per hoc tamen, quod concupiscentiæ in natura pura deest, nihil amittit naturalium virium, aut accipit naturalis nocenti concupiscentia in homine lapsa.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. D. Cons.* Ergo debilior est natura lapsa quam pura ad merendum C. ad honeste præcise agendum, abstrahendo a ratione meriti N. *Meritum* passim requirit, ut obsequium præstetur saltem a non inimico; hoc vero in natura lapsa, præcindendo a redemptore, non haberetur: quod ipsum tamen non pertinet ad aliquod intrinsecum, sed ad extrinsecam indignitatem.

*Ad Prob. 4<sup>am</sup>. N. Ass. Ad prob. R. Disparitas* est, quia 1<sup>o</sup>. in *damnatis* inclinatio ad bonum extinguitur ratione obstinationis, quæ involvit actualem deordinationem peccati, conjungiturque cum supplicio æterno sine spe veniæ; non autem eousque *connaturalis* homini est inclinatio in bonum, ut comprimi non possit per actualem a bono aversionem, præsertim ubi non est spes conjunctionis possibilis. 2<sup>o</sup>. Potestas peccandi est ita connaturalis creaturæ, ut non sit impeditiva majoris boni et finis ultimi, qui cum componi nequeat cum hac potentia, debet per hanc posse tolli. Aliter res habet cum inclinatione et potentia ad bonum comparate ad peccatum originale respectu naturæ, quæ adhuc in via est. Cum enim illa homini aliunde sit *connaturalis*: peccatum autem originale secundum se ei non opponatur; nec etiam adsit aliquid cum ipsa impossibile; non est, cur debeat dici ablata vel imminuta, saltem quoad habitudinem intrinsecam.

## CAPUT II.

### DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Cum in disputationibus de gratia potissimum circa ejus *necessitatem*, *existentiam* et *agendi modum* versemur, res nobis maxime est cum Pelagianis, Semi-Pelagianis, Luthero, Calvino, Baio, Jansenio et Quesnello, utpote qui ea in materia ab orthodoxa doctrina plurimum aberrarunt.

### ARTICULUS I.

QUINAM FUERINT AUCTORES, DEBELLATORES ET ERRORES HÆRESIS PELAGIANÆ CIRCA GRATIAM?

176. *Dico I. Auctor* fuit *Pelagius*, natione Britannus seu Anglus, professione monachus, ingenio fortissimo, celerrimo et acutissimo præcellens, moribus etiam pietatis laudem consecutus, et scriptis clarus, quorum præcipua sunt Liber unus de natura, Libri quatuor de libero arbitrio, Libri tredecim expositionum in omnes Pauli epistolas, Libellus fidei ad Innocentium, et variæ ad varios epistolæ. Errores suos præformatos ab Origene, Ruffino, et Theodoro Mopsuest. Romæ spargere cœpit circa annum Christi 405. ea